



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harphii Theologi Ervditiss. Ordinis
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.
Theologiæ Mysticæ Libri Tres**

Henricus <Herpius>

Coloniæ, 1611

Quòd voluntas bona totum hominem rectificat, cuius vsus obedientia vocatur: & vt solus Deus vti debeat propria voluntate, quæ in homine peßima iudicatur: & quod obedientia vera quinque requirit. Cap. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-37362

vocamus materialé, quæ est in voluto, in quantû Deus proportionâdo vnamquamq; voluntatem obiecto suo, vult hanc voluntatē velle obiectum libi conueniens, & ad hoc mouet ipsam. Et hæc est illa conuenientia, qua volumus quod Deus vult nos velle, etiam si hoc Deus nō velit. Ideo bonitas & conformitas nostræ voluntatis ad diuinam nō consistit in voluto materialiter sumpto, sed formaliter. Est & alia bona voluntas erga proximū, de qua dicit Gregorius: Voluntas autē bona est sic aduersa proximi, sicut nostra pertimescere, sic de prosperitate proximi, sicut de nostro profectu gratulari. Aliena damna nostra credere, aliena lucra nostra deputare, amicum non propter mundum, sed propter Deum diligere: inimicū verò & amando tolerare: nulli quod pati nō vis, facere: nulli, quod iuste tibi impedi desideras, denegare: necessitati proximi nō solum iuxta vires succurrere, sed prodelle etiam ultra vires velle. Hæc ille. Quæ bona voluntas vsitatori nomine benevolentia vocatur. De qua dicit Hugo, quod benevolentia est bona erga aliquem voluntas. Vel secūdum Philosophū, benevolentia est, qua alicui bonum volumus & optamus. Vnde per benevolentiam sic aliquē amamus, vt ei bonum velimus, non propter bonū aliquod, quod inde nobis proueniat, sed propter bonū suū, quod in eo existit, & nobis apparet. De qua dicit Ambrosius in libro de officijs: Benevolentia quædam cōmunis parens est, quæ amicitiam annectit & copulat, in cōsilijs fidelis, in prosperis læta, in tristibus modesta. Tolle ex vsu hominum benevolentia, tanquam solem è medio tuleris, ita erit, quia sine ea vsus hominum esse non potest. Ipsa enim ex pluribus vnum facit, quia si plures amici sunt, vnum fiunt, & vnus spiritus, & vna anima.

Voluntas
ad proximum.

Benevolentia
quid sit.

Quod voluntas bona totum hominem rektificat, cuius vsus obedientia vocatur: & vt solus Deus vti debeat propria voluntate, quæ in homine pessima iudicatur: & quod obedientia vera quinque requirit. Cap. XII.

Pone me, vt signaculum super cor tuum; vt signaculum super brachium tuum. Cantic. 8: Pone me vt signaculum super cor tuum, ne scilicet aliquid intret, quod illud inordinata passione vel affectione polluat, nec diabolus aliquid boni fraudulenter inde auferat, nec memoria mea passionis exeat, sed sicut signaculum sempiternæ recordationis, consignationis, adhesionis, & omnimodæ conformationis, ad custodiendum cor tuum contra insultus inimicorum, ad claudendum contra pe-

tra pestes vitorum, & ad insigniendum conformitate affectionum, & voluntatum: imò *vt signaculum super brachium tuum*, ad imitandum passionis meae vestigium, ad recompensandum tam ineffabilis pietatis beneficium, & ad perficiendum opere voluntatis meae beneplacitum, vt quicquid agendo, cauendo, sustinendo facias, amore, mei facias, & me dirigere perficias: quia probatio dilectionis, exhibitio est operis. Dicit etenim Anselmus lib. 8. de Similitudinibus: Voluntas est illud animae instrumentum, quo vult, vt affectio eiusdem instrumenti, scilicet volendi. Nam voluntas quae dicitur affectio, est ad tempus qua-

Voluntatis
diuersitas.

si sopita. Est enim eorum, quae mens non meminit, sed mox vt ea recolat, & instrumentum volendi appetit. Est autem haec voluntas inter Deum & diabolum, sicut mulier inter virum legitimum & adulterum. Nam Deus imperat voluntati, vt societur ei soli; diabolus autem, vt coniungatur ipsi. Si ergo soli Deo se coniunxerit, id est, sancti Spiritus suggestionem velut semen bonum receperit, fit ei sponsa legitima, filios legitimos, id est, virtutes & opera bona generas. Mox enim aperitur omnes sensus animae & corporis ad implendum quod praecipit Deus. Voluntas enim aperitur ad virtutum affectionem, & ad volendum optanda: memoria ad memorandum memoranda: cogitatio ad cogitandum cogitanda: intellectus ad discernendum quid sit volendum, memorandum, vel cogitandum: animus ad charitatem erigitur, ad humilitatem disponitur, ad patientiam roboratur, & ad alias virtutes generandas aperitur. Sic corporis sensus aperuntur. Oculi ad vigilandum & plorandum: os ad confitendum, orandum, benedicendum: manus ad recte operandum: pedes ad vtiliter ambulandum. Sicque sola voluntas diuinae coniuncta, tot virtutes generat & bona opera. Vfus autem huius voluntatis obedientia vocatur, quia diuinae voluntati obediens, eam habet aduocatam: vt si dicatur, cur hoc vel illud velit, libere respondeat: Quia Deus velit sic velle nec sit alia causa volendi, nisi diuina beneplacitum, vt fiat gratissimum sacrificium. Solus enim Deus quicquid vult, velle debet propria voluntate, ita vt aliam quam sequatur non habeat super se. Cum igitur homo vult aliquid propria voluntate, Deo aufert quasi suam coronam, gloriam, & maiestatem, & propriae voluntatis privilegium, ac per consequens, multum Deum inhonorat. Quapropter in inferno maxime ardebit propria voluntas. Nam sicut propria voluntas Dei, est fons & origo omni boni sicut ipse summa bonitas est: ita propria voluntas hominis mali totius exordium

Vfus volun-
tatis quis.

Voluntas
propria.

diū est. Voluntas itaque bona est, quæ Dei volūtatī subiecta est: quæ tunc volūtatī Dei subiecta est, quando id vult, quod Deus vult eam velle debere. Et tunc iusta siue recta dicitur, quando id, quod vult eam Deus velle debere, amplectitur. Vnde qui volūtatē bene operandi veraciter habet, maxima ex parte bonitati appropinquat. Verūtamēn sicut corpus sine frequenti ciborum vsu subsistere nequit; sic anima absque virtutum frequentatione & vsu viuere non potest. Nec sufficit bona volūtas, dum adest perficiendi facultas. Hæc Anselmus. Felix Paulus, qui diuina admonitione præuentus, statim respondebat: *Domine, quid vis me facere?* O verbum breue, sed plenum deuotione, sed viuum, sed efficax, sed dignum orāni acceptione. Quam pauci reperiuntur in hac forma perfectæ obedientiæ, qui suam ita abiecerunt volūtatē, quod nec ipsum quidem cor proprium habeāt. Sic enim decet, sic omnino dignum est Domine, non nostram à te, sed à nobis tuam quæri & fieri volūtatē. Et ait Dominus: *Vade in ciuitatem & ibi dicitur tibi, quid te oporteat facere.* O vera sapientia, suauiter omnia disponens. Eum, cui tu loqueris, erudiendum de volūtatē tua mittis ad hominem, vt homo discat hominem consulere, & homini subdi, exemplo Christi, qui *subditus erat illis*, scilicet, Mariæ & Iosēph: vt commendaret obedientiam etiā hominibus exhibendam propter eum, qui propter nos *obediens factus est vsque ad mortem crucis*. Est autem obedientia propriæ volūtatē subiectio, arbitrio superioris, ad licita & honesta. Cuius adimpletio tam necessaria est, quod nec studium bonæ actionis, nec orium sanctæ contemplationis, nec lachrymæ pœnitentis sine obedientia Deo poterunt esse accepta: nec omnino, quod propria fuerit inquinatum volūtatē, gustabit is, qui pascitur inter lilia. Hinc grande malum est propria volūtas, qua fit, vt bona tua tibi bona nō sint. Ad obedientiam igitur meritoriam quinque requiruntur. Primò, requiritur operatio recta, quia non est obedientia contra Deum. Vnde ait Augustinus: Sic modus obedientiæ tenendus est, vt bonis in malo non consentias, nec malis in bonis cōtradicās. Secūdo, prompta volūtas, quia Deus nō acceptat coacta seruitia. Vnde inquit Bernardus: Verus obediens, mandatum non procrastinat, sed parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi, & se totū intus colligit, vt mandatum peragat imperantis. Nec attendit verus obediens, quale sit quod præcipitur, hoc solo contentus, quia præcipitur. Obedientia namque perfecta legem nescit, terminis nō coarctatur: nec angustijs

Ahor 9

Lucæ 2.
Philip. 2.Obedientia
quid sit.Obedientie
necessaria
quinque.I.
II.

T con-

contenta professionis, largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis, & ad omne quod iniungitur, spontaneo vigore liberalis, alacrisq; animi modum non considerans, in infinitam libertatem extenditur: quia dicit Gregorius, quod obedientia non feruili metu, sed charitatis affectu seruanda est; non timore poenae, sed amore iustitiae. Tertio, intentio pura: quia *soculus* intentionis *simplex* fuerit, *totum corpus* bonorum operum *lucidum* erit. Ideo, secundum Gregorium, obedientia in aduersis debet aliquid habere de suo, & in prosperis ex suo aliquid non habere: quatenus & in aduersis tantò sit gloriosior, quanto diuino ordini etiam ex desiderio iungitur; & in prosperis tantò sit melior, quanto à praesenti gloria, quam diuinitus accipit, mente funditus separatur: alioqui cum mundi successus praecipitur, is, qui ad haec obedit, obedientiae sibi virtutè euacuat, si ad haec etià ex proprio desiderio anhelat. Non enim sub obedientia se dirigit, qui ad prospera percipièda libidini ambitionis propriae seruit. Rursum, cum aduersa mundi iubentur, nisi haec ex seipso animus appetat, obedientiae sibi meritum minuit, quia ad ea suscipienda nolens inuitusq; descendit. Vnde, secundum Richardum, duo sunt, quae solent praepedire perfectione obedientiae, id est, ne cogamur vel amata deserere, vel aspera tolerare. Sed si semel amore abstinentiae, vel patientiae perfectae in caluerit animus, protinus ad omnem obedientiam absq; vlla contradictione se subdit. Qui enim tam aduersa perpeti, quam in prosperis non delectari apud semetipsum statuit, quae difficultas eius obedientiam ulterius minuere poterit? Hæc ille. Quarto, discretio vera: quia rectè offerens, & non rectè diuidens, peccat. Vnde, secundum Bernardum, omni virtuti discretio ordinem ponit, modum tribuit, decorem & perpetuitatem cõfert. Hinc, secundum Gregorium, plerunq; cum virtus indiscretè tenetur, amittitur, cum discretè intermittitur, plus tenetur. Quintò, finalis perseverantia, quia nullum est bonum sine perseverantia. Vnde Bernardus. In ipsa obedientiae via tibi fortassis aliqua dura & aspera occurrere possunt, vt accipias interdum praecepta nonnulla, quae licet salubria sint, minus tamen suaui esse videntur. Hæc si molestè coeperis sustinere, si diiudicare praelatum, si murmurare in corde, si etià exterius impleas quod iubetur, non est virtus obedientiae, sed velamen malitiae.

De obedientia, & eius excellentia, quae in tribus gradibus distinguitur.

Est enim obedientia professionis, cõfirmationis, & vnionis.

Cap: XIII.

Pene:

III.
Obedientia
in aduersis
& prosperis
qualis esse
debeat.

III.

V.